Art. iii. Utrum tot receptacula debeant diſtingui.

Quæſtio ii.

Art. i. Utrum ſuffragia quæ per unum hominem fiunt, alii prodeſſe poſsint.
Quæſt. 2. Utrum opera vivorum mortuis proſint.
Quæſt. 3. Utrum ſuffragia per peccatores facta mortuis proſint.
Quæſt. 4. Utrum ſuffragia á vivis facta ipſis factoribus proſint.
Art. ii. Utrum ſuffragia proſint exiſtentibus in inferno.
Quæſt. 2. Utrum proſint exiſtentibus in purgatorio.
Quæſt. 3. Utrum ſuffragia valeant pueris exiſtentibus in limbo.
Quæſt. 4. Utrum aliquo modo proſint exiſtentibus in patria.
Art. iii. Utrum ſola tria quæ dicit Auguſtinus, oratio Eccleſiæ, ſacrificium altaris, & eleemoſyna, proſint mortuis.
Quæſt. 2. Utrum indulgentiæ quas facit Eccleſia, proſint defunctis.
Quæſt. 3. Utrum cultus exequiarum defunctis proſint.
Art. iv. Utrum ſuffragia quæ fiunt pro uno defuncto, magis proſint ei pro quo fiunt, quam aliis, ac ſi pro unoquoque fierent.
Quæſt. 2. Utrum ſuffragia facta pro multis, tantum valeant ſingulis, ac ſi pro unoquoque ſingulariter fierent.
Quæſt. 3. Utrum tantum valeant ſuffragia communia illis pro quibus ſpecialia non fiunt, quantum illis pro quibus fiunt, valent ſpecialia, & communia ſimul.

Quæſtio iii.

Art. i. Utrum orationes vivorum á Sanctis cognoſcantur.
Art. ii. Utrum debeamus interpellare Sanctos ad orandum pro nobis.
Art. iii. Utrum orationes Sanctorum ad Deum fuſæ pro nobis ſemper exaudiantur.

DISTINCTIONIS XLVI.

Quæſtio i.

Art. i. Utrum Deo juſtitia debeat attribui.
Quæſt. 2. Utrum ſecundum eamdem rationem dicantur in Deo bonitas, & juſtitia.
Quæſt. 3. Utrum in Deo ſit eadem ratio juſtitiæ, & veritatis.
Art. ii. Utrum opus Dei dicatur juſtum ex hoc ſolo quod eſt ei placitum.
Quæſt. 2. Utrum Deus poſsit prætermittere aliquid eorum quæ concurrunt ad juſtitiam ex parte operis ejus.
Quæſt. 3. Utrum Deus puniat aliquem niſi pro peccato.
Quæſt. 4. Utrum Deus agat juſtius cum uno homine quam cum alio.
Art. iii. Utrum ex divina juſtitia infligatur peccatoribus pœna æterna.

Quæſtio ii.

Art. i. Utrum in Deo ſit ponere miſericordiam.
Quæſt. 2. Utrum in Deo ſecundum eamdem rationem dicatur miſericordia, & bonitas.
Quæſt. 3. Utrum opus divinæ miſericordiæ ad attributum potentiæ reducatur.
Art. ii. Utrum Deus miſericordiam ſuam ſemper exhibeat in hoc quod punit citra, & remunerat ſupra condignum.
Quæſt. 2. Utrum in omni opere Dei miſericordia, & veritas conjungantur.
Quæſt. 3. Utrum in omni opere Dei principalior ſit juſtitia quam miſericordia.
Art. iii. Utrum per miſericordiam divinam omnis pœna tam hominum, quam dæmonum terminetur.
Quæſt. 2. Utrum divina miſericordia ſaltem homines in æternum permittat punire.
Quæſt. 3. Utrum Chriſtianorum pœna per divinam miſericordiam terminetur.
Quæſt. 4. Utrum ſaltem qui opera miſericordiæ faciunt, non puniantur æternaliter.

DISTINCTIONIS XLVII.

Quæſtio i.

Art. i. Utrum generale judicium futurum ſit.
Quæſt. 2. Utrum judicium diſceptationis fiat per locutionem vocalem.
Quæſt. 3. Utrum tempus futuri judicii ſit ignotum.
Art. ii. Utrum aliqui homines judicaturi ſint cum Chriſto.
Quæſt. 2. Utrum voluntariæ paupertati correſpondeat judiciaria poteſtas.
Quæſt. 3. Utrum Angeli debeant judicare.
Quæſt. 4. Utrum poſt diem judicii dæmones exequantur ſententiam judicis in damnatis.
Art. iii. Utrum homines in judicio comparere debeant.
Quæſt. 2. Utrum aliqui boni judicandi ſint.
Quæſt. 3. Utrum aliqui mali judicandi ſint.
Quæſt. 4. Utrum Angeli judicandi ſint in futuro judicio.

Quæſtio ii.

Art. i. Utrum aliqua mundi purgatio futura ſit.
Quæſt. 2. Utrum hæc purgatio ſit futura per ignem.
Quæſt. 3. Utrum ille ignis ſit ejuſdem ſpeciei cum igne elementari.
Art. ii. Utrum ille ignis conflagrationis purgaturus ſit cœlos ſuperiores.
Quæſt. 2. Utrum conſumpturus ſit alia elementa.
Quæſt. 3. Utrum per ignem illum elementa omnia purganda ſint.

Art. iii. Utrum ignis ultimæ conflagrationis ſequi debeat judicium.
Quæſt. 2. Utrum per ignem illum conſumendi ſint homines, ut in littera dicitur.
Quæſt. 3. Utrum ignis ille debeat involvere malos.

DISTINCTIONIS XLVIII.

Quæſtio i.

Art. i. Utrum Chriſtus in forma ſervi ſit judicaturus.
Art. ii. Utrum apparere debeat in forma humanitatis glorioſa.
Art. iii. Utrum divinitas á malis ſine gaudio videri poſsit.
Art. iv. Utrum adventum Domini ad judicium præcedere debeant aliqua ſigna.
Quæſt. 2. Utrum circa diem judicii ſecundum veritatem ſol, & luna obſcurari debeant.
Quæſt. 3 Utrum veniente Domino virtutes cœlorum movendæ ſint.
Quæſt. 4. Utrum judicium fiat in valle Joſaphat, aut in loco circumſtanti.

Quæſtio ii.

Art. i. Utrum mundus aliquando innovabitur.
Art. ii. Utrum innovato mundo motus corporum cœleſtium ceſſabit.
Art. iii. Utrum corporibus cœleſtibus claritas augeatur per innovationem.
Art. iv. Utrum elementa renoventur per receptionem alicujus claritatis.
Art. v. Utrum plantæ, & animalia remaneant poſt innovationem.

DISTINCTIONIS XLIX.

Quæſt. i.

Art. i. Utrum beatitudo in bonis corporis conſiſtat.
Quæſt. 2. Utrum beatitudo magis conſiſtat in his quæ ſunt voluntatis, quam in his quæ ſunt intellectus.
Quæſt. 3. Utrum magis conſiſtat in actu intellectus practici quam ſpeculativi.
Quæſt. 4. Utrum beatitudo in hac vita habeatur.
Art. ii. Utrum beatitudo ſit quid creatum, vel increatum.
Quæſt. 2. Utrum ſit actus.
Quæſt. 3. Utrum beatitudo hominis ſit idem quod vita æterna.
Quæſt. 4. Utrum ſit idem quod pax.
Quæſt. 5. Utrum ſit idem quod regnum Dei.
Art. iii. Utrum omnes appetant beatitudinem.
Quæſt. 2. Utrum aliquis poſsit miſeriam appetere.
Quæſt. 3. Utrum aliquis appetendo beatitudinem mereatur.
Quæſt. 4. Utrum omne quod aliquis vult, propter beatitudinem velit.
Art. iv. Utrum beatitudo ſanctorum ſit maior futura poſt judicium quam ante.
Quæſt. 2. Utrum beatitudo æqualiter participanda ſit ab omnibus.
Quæſt. 3. Utrum gradus diverſi beatitudinis manſiones dici debeant.
Quæſt. 4. Utrum manſiones diſtingui debeant penes gradus charitatis.

Quæſtio ii.

Art. i. Utrum intellectus humanus poſsit pervenire ad videndum Deum per eſſentiam.
Art. ii. Utrum ſancti poſt reſurrectionem Deum corporalibus oculis ſint viſuri.
Art. iii. Utrum ſancti videndo Deum, comprehendant ipſum.
Art. iv. Utrum eorum qui vident per eſſentiam, unus alio videat perfectius.
Art. v. Utrum ſancti videntes Deum per eſſentiam omnia videant quæ Deus in ſeipſo videt.
Art. vi. Utrum aliquis intellectus creatus ex propriis naturalibus poſsit Deum per eſſentiam videre.
Art. vii. Utrum Deus in ſtatu viæ poſsit videri per eſſentiam.

Quæſtio iii.

Art. i. Utrum delectatio ſit paſsio.
Quæſt. 2. Utrum delectatio in parte intellectiva animæ, vel in aliis ſubſtantiis ſpiritualibus poſſit eſſe.
Quæſt. 3. Utrum delectatio ſit in tempore.
Quæſt. 4. Utrum delectatio, & gaudium ſint penitus idem.
Art. ii. Utrum cauſa delectationis ſit ſolum operatio connaturalis habitus non impedita.
Art. iii. Utrum delectationi triſtitia ſit contraria.
Quæſt. 2. Utrum delectationi quæ eſt in conſiderando, ſit aliqua triſtitia contraria.
Quæſt. 3. Utrum triſtitia fortius afficiat quam delectatio
Art. iv. Utrum omnis delectatio ſit bona.
Quæſt. 2. Utrum omnis triſtitia ſit mala.
Quæſt. 3. Utrum aliqua delectatio ſit optimum.
Art. v. Utrum delectationes corporales ſint potiores ſpiritualibus.
Quæſt. 2. Utrum inter delectationes corporales ſit potiſsima quæ eſt ſecundum tactum.
Quæſt. 3. Utrum inter ſpirituales potior ſit delectatio quæ eſt in operibus activæ, quam contemplativæ.
Quæſt. 4. Utrum in beatis hominibus ſit æqualis delectatio.

Quæſtio iv.

Art. i. Utrum in hominibus beatis ponendæ ſint aliquæ dotes.
Art. ii. Utrum dos idem quod beatitudo ſit.

Art. III. Utrum Chriſto competat habere dotes.
Art. IV. Utrum Angeli habeant dotes.
Art. V. Utrum convenienter ponantur tres animæ dotes, ſcilicet dilectio, viſio, fruitio.
Quæſt. 2. Utrum ſint aliquæ dotes in corpore præter dotes animæ.
Quæſt. 3. Utrum dotes corporis convenienter aſſignentur quatuor, ſcilicet ſubtilitas, agilitas, claritas, & impaſſibilitas.

Quæſtio VI.

Art. I. Utrum aureola ſit aliud præmium ab eſſentiali præmio, quod dicitur aurea.
Art. II. Utrum aureola differat á fructu.
Quæſt. 2. Utrum fructus ſoli virtuti continentiæ debeatur.
Quæſt. 3. Utrum convenienter tres fructus tribus partibus continentiæ debeantur.
Art. III. Utrum virginitati debeatur aureola.
Quæſt. 2. Utrum martyribus aureola debeatur.
Quæſt. 3. Utrum doctoribus aureola debeatur.
Art. IV. Utrum Chriſto aureola debeatur.
Quæſt. 2. Utrum Angelis aureola debeatur.
Quæſt. 3. Utrum aureola corpori debeatur.
Art. V. Utrum convenienter tres aureolæ aſſignentur, ſcilicet virginum, martyrum, & doctorum.
Quæſt. 2. Utrum aureola virginum ſit potior, vel aureola doctorum, vel martyrum.
Quæſt. 3. Utrum munus aureolam virginitatis, vel martyrii, vel doctoris alio excellentius habeat.

DISTINCTIONIS L.

Quæſtio I.

Art. I. Utrum anima ſeparata poſſit aliquid intelligere.
Art. II. Utrum anima ſeparata aliquid intelligat per ſpecies quas corpori conjuncta abſtraxit.
Art. III. Utrum anima ſeparata ſingularia cognoſcat.
Art. IV. Utrum diſtantia localis cognitionem animæ ſeparatæ impediat.

Quæſtio II.

Art. I. Utrum omnis voluntas damnatorum ſit mala.
Quæſt. 2. Utrum damnati aliquando pœniteant de malis quæ fecerunt.
Quæſt. 3. Utrum damnati recta ratione, & deliberativa poſſint velle ſe non eſſe.
Quæſt. 4. Utrum damnati vellent aliquos eſſe damnatos qui damnati non ſunt.
Quæſt. 5. Utrum damnati habeant odio Deum.
Quæſt. 6. Utrum damnati demereantur.
Art. II. Utrum damnati poſſint uti notitia quam in hoc mundo habuerunt.
Quæſt. 2. Utrum aliquando cogitent de Deo.
Quæſt. 3. Utrum damnati gloriam beatorum viſuri ſint.
Art. III. Utrum damnati in inferno ſola pœna ignis affligantur.
Quæſt. 2. Utrum vermis quo affliguntur, ſit vermis corporalis.
Quæſt. 3. Utrum fletus qui erit in damnatis, erit corporalis.
Quæſt. 4. Utrum damnati ſint in tenebris corporalibus.
Art. IV. Utrum Sancti videant pœnam damnatorum poſt diem judicii.
Quæſt. 2. Utrum beati miſeriis damnatorum compatiantur.
Quæſt. 3. Utrum beati lætentur de pœnis impiorum.

FINIS.

LIBRI QUARTI SENTENTIARUM MAGISTRI PETRI LOMBARDI

DISTINCTIO XXIII.

De sacramento unctionis extremæ.

PRæter præmissa est etiam aliud sacramentum, scilicet unctio infirmorum, quæ fit in extremis, oleo per Episcopum consecrato: & sunt tria genera unctionis. Est enim unctio quæ fit chrismate, quæ dicitur principalis unctio, quia in ea principaliter Paraclytus datur. Unde & propter abundantiam gratiæ duos liquores mixtos habet, oleum scilicet, & balsamum; oleum conscientiæ, balsamum bonæ famæ. Chrisma vero græce, unctio latine dicitur. Nec tamen omne oleum ad unctionem sanctificatum chrisma vocatur, sed illud solum quod miscetur cum balsamo, quo capita Regum, & Pontificum unguntur, quo etiam baptizatos sacerdos ungit in vertice, & Pontifex per impositionem manus confirmandos ungit in fronte. Est & alia unctio qua catechumeni, & neophyti unguntur in pectore, & inter scapulas in perceptione baptismi. Tertia vero unctio est quæ dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agitur.

A quibus institutum sit hoc sacramentum.

HOC sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Jacobus, cap. V. 14. „Infirmatur aliquis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in „nomine Domini: & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.“ In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleviationem. Unde constat eum qui hanc unctionem fideliter, devoteque percipit, & in corpore, & in anima alleviari, si tamen expedit ut in utroque allevietur. Quod si forte corporis valetudinem illi habere non expedit, illam quæ est animæ sanitatem in hoc sacramento acquirit. Et sicut in aliis sacramentis, ita & in isto aliud est sacramentum, aliud res sacramenti. Sacramentum est ipsa unctio exterior, res sacramenti unctio interior, quæ peccatorum remissione, & virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu, vel negligentia sacramentum hoc prætermittitur, periculosum est, & damnabile.

De iteratione hujus sacramenti.

QUærunt aliqui, si hoc sacramentum iterari possit, cum baptismus, & alia quædam sacramenta semel suscepta non iterentur. Augustinus (1) dicit, Lib. II. contra Epistolam Parmeniani cap. XIII. sacramentum non iterandum, & sacramento non faciendam esse injuriam. Sed hoc dicit ubi (2) agit de sacramento baptismi, & ordinationis. Unde non videtur illud generaliter accipiendum, sed de sacramento baptismi, & confirmationis, & ordinationis, quæ nullatenus sunt repetenda: quia semel tantum, & non sæpius datur baptismus, & confirmatio, & ordinatio. Sacramentum vero altaris, & pœnitentiæ, & conjugii sæpe iterari videtur: quia sæpe sacramentum corporis percipitur, frequenter pœnitentia agitur, conjugium sæpe contrahitur. Quare ergo unctio similiter non potest iterari? Si morbus non revertitur, medicina non iteretur. Si vero morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita & unctio iterari posse videtur: utramque enim illic commemorat Jacobus, & utrumque illic cooperatur (3) ad conferendam alleviationem corporis, & animæ. Cur ergo negatur unctionem super infirmum posse iterari ad impetrandam sæpius sanitatem mentis, & corporis, cum propter infirmitatem eadem sæpe iteranda sit oratio? Quidam autem de omni sacramento intelligi volunt, quod non sit iterandum, scilicet secundum totum illud quod pertinet ad sacramentum, dicentes, quædam sacramenta sæpius posse suscipi, quædam vero non. Nec tamen quæ sæpius sumuntur, totaliter iterantur, ut sacramentum altaris, & unctionis; quæ licet sumantur sæpius, tamen quia non iterum benedicitur eadem hostia, vel idem oleum, non iteratur sacramentum cum injuria. Sed dicet quis: Sic & baptismus non iteratur, etsi aliquis frequenter baptizatur, dum eadem aqua non iterum benedicatur. Sed aliud est, inquiunt illi, de benedictione aquæ, qua fit baptismus, aliud de benedictione panis, & olei. Potest enim baptismus celebrari in aqua etiam non benedicta: quia illa benedictio pro reverentia tantum fit, & decore, non virtute sacramenti. Sed corpus Christi non potest confici nisi de pane consecrato; nec unctio illa fieri potest nisi de oleo ab Episcopo consecrato: ideoque illa sanctificatio ad virtutem sacramenti pertinere videtur. In conjugio quoque semel tantum benedicitur quisque, non sæpius. Benedicitur enim, ut ait Ambrosius (Ambrosiaster) in I. Corinth. cap. VII. cum prima, & non cum secunda uxore. Si ergo cum dicitur, sacramentum non esse iterandum, nec injuriam ei esse faciendam, ratio-nem

(1) *Nicolai addit* utique. (2) *Al.* ait. (3) *Al.* ferendam.